





7

DE  
**MORBI SALVTARIS**  
NOTIONE RITE APPLICANDA

EX CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

**D. ADAMO NIETZKI**

DIE XXVIII. MAII CL<sup>O</sup> CCC LV.

H. L. Q. S.

FVBLINE DISSERET

AVCTOR

**CAROLVS CHRISTIANVS WAGNER**

LOEVENA SILESIUS.

---

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.



THEATRUS MEDICO  
MORBI SICKTURIS  
MORTALITATIBUS  
IN CONVENTU GASTORUM TACITATIS MEDICAE  
CIRCA REGIA IMPERIALIA  
D. ADAMO MESTRI  
OPENDORF  
CAROLAS CHRISTIANAS WAGNER  
HABENS AD SVITAM  
PRAECEPS

PERILLVSTRI. DOMINO.

DOMINO.

ERNESTO. FRIDERICO.

L. B.

DE. KITTLITZ.

ET.

OTTENDORFF.

AVGVSTISSIMO. POTENTISSIMOQVE. PRVSSORVM.

REGI. A. CONSILIIS. SANCTIORIBVS. PRIMO.

CONSILIARIO. IN. TRIBVNALI. SVPREMO.

QVOD. VRATISLAVIAE. FLORET.

MAECENATI.

BENEFICENTISSIMO.

PROMOTORI.

STUDIORVM SVORVM BENIGNISSIMO.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

VT. ET.  
VIRO. MAGNIFICO. EXCELLENTISSIMO.  
AMPLISSIMO. DOCTISSIMO.

DOMINO.

# CHRIST. GOTTLIEB. LVDWIG.

MEDICINAE. DOCTORI. IN. ILLVSTRI. ACADEMIA.  
LIPSIENSI. ANATOMIAE. ET. CHIRVRGIAE. P. P. O.  
COLLEGII. B. M. V. COLLEGAE. ACADEMIAE.

SCIENTIARVM. BEROLINENSIS.

SODALI.

PATRONO. FAVTORI.

STVDIORVM. SVORVM. DIRECTORI.

AESTVMATISSIMO. BENEVOLENTISSIMO.

OPTIMO. HVIC. DVVMVIRATVI.

PAGINAS. ISTAS. ACADEMICAS.

STVDIORVM. SVORVM. PVBLICVM. SPECIMEN.

IN. PVBLICAM. TESTIFICATIONEM.

REVERENTIAE. ET. GRATI. ANIMI.

SVIQVE. VLTERIOREM. COMMENDATIONEM.

SACRAT.

ATQVE. INTER. FERVIDISSIMA. VOTA.

PRO. PERENNITATE. SALVTIS.

D. D. D.

DEVINCTISSIMVS. CVLTOR.

CAROLVS. CHRISTIANVS. WAGNER.

LOEVENA. SILESIVS.

---

HALAE. PROPTER. SALAM. ID. MAII A. R. S.

cicccc lv.



DISSESSATIO ACADEMICA

DE

# MORBI SALVTARIS NOTIONE RITE APPLICANDA.



## §. I.

ieri quandoque experientia docet, *Obserua-*  
*vt aegra iam corpora humana se tio,*  
*melius habere incipient, nouo*  
*quodam morbo in iisdem adhuc*  
*suborto. Ita febrem intermitte-*  
*tem hypochondriacis, hysterics non nunquam*  
*profuisse; a fluxu sanguinis ex naribus tinnitus*  
*aurium, vertigines, dolores capitatis, et alia mala*  
*apud iuvenes saepe levata fuisse, historia medi-*  
*ca testatur, compluraque alia, huc pertinentia*  
*exempla enarrat. Confr. ill. ALBERTI *dissert.**  
*de Salubrit. morbor. ill. b. m. HOFFMANNI med.*  
*rat.*

*rat. system. sect. II. cap. I. §. XXII. seq.* Sed inter hasce morborum contemplationes nascitur iam in animo idea salubritatis cuiusdam, iisdem adhaerentis.

## §. II.

*Definitio morbi salutaris.* Erit adeoque *morbus salutaris*, cuius solutio remedium adfert alteri morbo, cum illo simul existenti, ita tamen, ut status inde corporis ortus, priore non sit periculosior.

## §. III.

*An possibili-* *Morbos salutares in corpore humano existere posse,*  
*les morbi nemo non concedere debet: (§. I. et II.)*  
*salutares?*

Neminem fore puto, qui mihi vitio vertat, quod in praesente tractatione de morborum salutarium possibilitate euincenda sim sollicitus. Postulant id enim sanioris Logicae praecepta; quando nimurum definitiones nominales loco principiorum demonstrandi adhibentur. Qnod impraesentiarum obtinet, ut sequentia docehunt.

## §. IV.

*Qualis notio morbi salutaris?* Quum morbus salutaris requirat alium morbum, ipsi coëxistentem, natumque ex illius solutione in corpore statum non ita periculosum, quam prior fuerat (§. II.): notionem morbi salutaris non nisi relatiuam fore, patet.

## §. V.

§. V.

*Fieri adeoque poterit, ut morbus quidam in Quid por-  
vno casu sit salutaris, in alio vero minus (§. antec.). ro inde?*

*Luculentissime id apparebit ex exemplis, infra al-  
legandis.*

§. VI.

*Morbus salutaris vel sanitatem, vel morbum Effectus  
priore mitiorem, quo adsciebatur corpus, producere morbi sa-  
lutaris  
debet. Morbus enim salutaris est remedium ra-  
tione alterius morbi, cum illo simul existentis  
quales? (§. II.). Sed remedium morbi omne id esse dici-  
tur, quod illum vel tollere, vel imminuere valet.  
Idem adeoque a morbo salutari fieri debere pa-  
tet. Quia etiam ex morbo salutari non aliis in  
corpore suboriri debet status, quam exilitate pe-  
riculorum a priore distinctus (§. II.): sequitur,  
ut tum vel pristinae sanitati restituatur aeger, vel  
saltrem longe mitiore morbo, quam antea, de-  
tineatur. Euidens igitur erit veritas propositionis.*

§. VII.

*Quodsi itaque in casu quodam morbus aliquis Consecta-  
deprehendatur, quem alias salutarem fuisse constitit, rium.  
a quo nunc aeger in maiora pericula vitae coniicitur,  
vel eodem perit: illum nullam salubritatem p[re]se tu-  
lisse, tuto iam colligere poteris (§. ant.).*

B

§. VIII.

## §. VIII.

*Aliud.*

*Morbus porro salutaris magnitudine superare non debet morbum, per illum soluendum. (§. VI.).*

## §. IX.

*Morbi sa:  
lutaris  
ratio ad  
alium  
morbum.*

*Morbus salutaris caussae morbi, per illum soluendi, respondere debet. Nam morbi salutaris est producere vel sanitatem, vel morbum priore mitiorum (§. VI.). Neutrum vero fieri poterit absque sublatione, vel mutatione caussae morbi, per salutarem soluendi: alias enim concedi deberet, fieri posse, ut sanitas in corpore obtineat, caussa morbi simul praesente, et morbus leuior existat, licet illius caussa grauior fuerit; id quod rationi repugnat. Ex quibus itaque manifesto apparet, quantopere morbus salutaris caussae morbi, per illum soluendi, respondere debeat.*

## §. X.

*Consecta-  
rium.*

*Quum in morbi salutaris solutione ratio sufficiens contineatur, cur vel sanitas redeat, vel morbus priore minor in corpore relinquatur (§. antec. demonstrat): consequens iam erit, morbi salutaris solutionem in relatione esse ad alium morbum, ipse coexistentem, instar caussae ad efficitum.*

## §. XI.

*Rite applicare notionem morbi salutaris nihil rite appli- aliud est, quam recte iudicare, an morbus qui- care no-*

*de Morbi Salutaris Notione rite applicanda.* II

dam in casu aliquo obuio huius conditionis vel <sup>tionem</sup>  
sit, vel fuerit, vel futurus sit, vt ab illius solu- <sup>morbi sa-</sup>  
tione alter eidem coëxistens morbus simul mute- <sup>lutaris.</sup>  
tur cum productione vel sanitatis, vel morbi,  
priore mitioris, an vero res se hic habeat plane  
diuerso modo?

§. XII.

*Qui notionem morbi salutaris rite applicare con-* Requisita  
*rendit: illum sanitatem et morbos, utrorumque causas ad istam*  
*sas, effectus in corpore, et signa distincte intelligere applica-*  
*oportet. Nam rite applicatur notionem morbi* <sup>tionem.</sup>  
salutaris iudicare vult, utrumne in casu substrato  
vel sit, vel fuerit, vel futurus sit morbus, quo  
soluto, alias quoque morbus, ipsi coëxistens, si-  
mul ita mutetur, ut loco eius vel sanitas redeat,  
vel relinquatur in corpore morbus priore mitior;  
an vero haec omnia se secus habeant (§. XI.)?  
Quia vero morbi salutaris solutio ad morbi alte-  
rius, ipsi coexistentis, imminutionem, vel illius  
conuersationem in statum sanitatis sese habet ut  
caussa ad effectum (§. X.): sequitur, ut caussarum  
natura introspicienda sit, quo cognoscantur effe-  
ctus inde dependentes, atque horum indoles pro-  
be intelligenda, quo intelligantur caussae, tandem  
que ea simul tenenda, unde haec omnia vel ad-  
esse, vel adfuisse, vel adhuc futura esse colligi  
possint. Hinc rectam notionis de morbo salutari  
applicationem postulare patet, ut sanitas, morbi,

vtrorumque causae, effectus in corpore, et signa distincte cognoscantur.

### §. XIII.

*Consecta-  
rium.*

Sanitas aequa, ac morbus respondent modo compositionis, qui obtinet in corpore humano viuo: id praecipientibus Physiologia et Pathologia. Non exigua autem illa est diuersitas ratione istius modi compositionis in singulari. Ob quam causam necesse erit, ut rite applicaturus notionem morbi salutaris ad casum, rationem habeat differentiae individualis (§. ant.).

### §. XIV.

*Consecta-  
rium.*

Quum recte applicaturus notionem morbi salutaris ad casum, nou debeat praeteruidere differentiam individualem (§. ant.): illum ergo oportebit animum dirigere ad aetatem, vitae genus, sexum, temperamentum, praeteritas corporis determinaciones, variaque ad ipsum admissa.

### §. XV.

*Scholion  
generale.*

Dum generalia in doctrinis semper eximum usum in specialioribus praestant: neque inutilia fore existimo, quae de arguento, mihi ad pertractandum sumto, hucusque protuli. Ex notione morbi salutaris, ab obseruationibus abstracta, eiusdem affectiones deducere, atque ex ha-  
rum

rum contemplatione legem illam euoluere conatus eram, quae in applicatione huius theoriae necessario obseruari debet. Quum omnes veritates sorrorio quasi vinculo inter se arctissime sint connexae: neque fieri poterit, vt vna alteri repugnet. Hinc maximopere inter se consentient veritates a priori rite deductae cum illis, quae a posteriori, seu ope experientiac cognoscuntur. Atque huius quoque conditionis ea omnia esse reor, de quibus haec tenus differui. Satis luculenter id constabit ituro per exempla. Operae adeoque pretium erit, non nullos casus enarrare, vt generalia, superius prolata, partim magis illustrentur, partim illorum usus in specialioribus probe intellegatur.

§. XVI.

*Haemorrhagiae subiectis plethoricis ita subortae, Haemorrhagiae*  
*vt quantitas sanguinis remanentis in corpore respon-*  
*deat quantitatii, quam sibi status sanitatis poscit, ne quando*  
*que ab ista excretione sanguinis viscus quoddam lae-*  
*datur: illis tunc nomen morbi salutaris tribui pote-*  
*rit; in casu autem opposito minime. Plethorae enim*  
*nomine venit quantitas sanguinis maior illa, quam*  
*requirit sanitas. Quodsi igitur subiectis pletho-*  
*ricis oboritur haemorrhagia, cuius beneficio tan-*  
*tum modo sanguinis excernitur, vt illius portio*  
*residua in corpore plane respondeat sanitati: hanc*  
*iam restitui, ita sublata plethora, patet; dum*  
*hoc loco simul excluduntur possibles ab haemorrhagia.*

morrhagiis laesiones viscerum, ut morbi plethora maiores (per princip. Pathol.). Sub qua ideoque conditione haemorrhagia plethoricis erit morbus salutaris (§. VI.). Sit vero plethoricis admodum parca haemorrhagia, aut nimium excendens: tunc praeter alia mala, in casu priore orgasini, molestissimae vasorum ad loca haemorrhagica distensiones; in casu autem posteriore collabescentiae vasorum, adfectus syncoptici, adeoque morbi in corpore produci poterunt, longe grauiores plethora ipsa, id coomonstrante Pathologia. Neque tum haemorrhagiae morbis salutaribus accenseti poterunt (§. cit.). Vnde iam constabit propositio.

### §. XVII.

*Consecta-  
rium.*

Phthisin pulmonalem in pulmonum exulceratione consistere, atque ex haemoptysi saepe prodire, Pathologia euincit. Si igitur *haemoptysi*, subiectis plethoricis obortam, sequitur phthisis pulmonalis: tunc dicta modo haemorrhagiae species numerum morborum salutarium subire non poterit (§. ant.).

### §. XVIII.

*Aliud.*

E contraria autem parte haemorrhagiae natum temperatae plethoricis erunt salutares. (§. XVI.).

### §. XIX.

§. XIX.

*Si in partibus, quibus adbaerent ulcera putrida, prodeunt haemorrhagiae: bae iam ad morbos salutares pertinere non poterunt. Etenim a sanguine gliae in ulceribus putridis admixto, putredinem in iisdem cibis magis adaugeri, indeque morbum maiorem fieri, puridis ex pathologicis constat. Ut de eo nil dicam, salutares? quod nimium excedere soleant haemorrhagiae in dicto casu obortae. Quapropter neque ad morbos salutares referri poterunt.*

§. XX.

*Ex §. praeced. iam liquet, quorsum specient Consedata haemorrhagiae carcinomatibus, exulcerato utero suum. peruenientes?*

§. XXI.

*Quando in grauibus ad viscera congestionibus Haemorrhagiae in ne vel orgasmi, vel collabescientiae vasorum, vel laecongestionis cuiusdam in viscere quodam: tunc illae reputanibus adri poteruerat pro morbo salutari; maxime si simul fuerint reuulsoriae. Quum enim graues ad viscera quando congestiones nimis austam in iisdem humorum salutares, quantitatem inuuoluant, ita, vt inde vasa illorum vel non? substantiam perreptantia, mirum in modum distendantur. Sed sanguinis quantitate, per haemorrhagiam imminuta, decrescat quoque quantitas.*

titas sanguinis, vasa viscerum distendentis. Vnde congestionem ibidem imminui, vel etiam plane tolli posse, patet. Quod quum eo citius obtineatur, dum sanguis ex plaga, partibus affectis opposita, excernitur, siue dum haemorrhagia reuulsoria oboritur: tunc huius genii haemorrhagiae magis proficient congestiouibus. Quoniam porro per hypothesin propositionis omnes morbi in casu exulare debent, qui ab haemorrhagiis producti maiores forent ipsis congestionibus: liquidum iam est, quod tum haemorrhagiae salutares dici debeant (§. VI.).

### §. XXII.

*Confectarium.*

Moderatae ergo excretiones haemorrhoidum, sanguinis ex utero considerandae erunt tanquam morbi salutares in infarctibus viscerum abdominalium, in passionibus hypochondriacis, hystericis, in vertiginibus, variisque aliis capitum afflictionibus.

### §. XXIII.

*Aliud.*

Quod si vero vomitum cruentum, licet ab eodem infarctus lienis imminuat, tanta inter euomendum insequatur pectoris oppressio, ut inde haemoptysis pulmonibus fatalis oviatur: ille tunc haemorrhagias salutaribus adnumerandus non erit.

### §. XXIV.

§. XXIV.

Si motuum febrilium ea fuerit ratio, ut inde va- Februm  
riae stases et obstrunctiones resoluantur sine nouarum salubritas  
productione in illis locis corporis, quae maiorem influ- et insalu-  
xum habent in oeconomiam vitalem, aut alia pericu- britas  
losiori quadam dictorum locorum adfectione; vel cum quando?  
ortu nouarum obstruktionum, sed in illis partibus,  
quae nexus modo remotiorem habent cum vitalibus:  
febris tunc loco morbi salutaris habenda crir. In ca-  
sibus vero oppositis non ita. Conditiones in pro-  
positione enarratas possibiles esse, ex Pathologia  
apparet, vt pote in qua ex natura febris deducitur,  
fieri posse, vt illius vi obstrunctiones vel referen-  
tur, vel augeantur, vel nouae producantur. Con-  
tingat iam in casu quodam febris, vt resolutis  
prioribus obstruktionibus, non producantur aliae  
in partibus vitalibus, nec istae alio modo vehe-  
menter adficiantur; vel obstrunctiones nouae par-  
tes occupent cum vitalibus non adeo arête co-  
haerentes: tunc febrem sequetur vel sanitas, vel  
morbus priore minor. Ideoque febris salutaris di-  
cenda erit (§. VI.), quae salubritas eidem in casibus  
oppositis assignari non poterit.

§. XXV.

Ergo febris quaedam intermittens conuersa in Consecta-  
acutam, aut ista soluta per metastases ad viscera nobilio- rium.  
ra, praesertim si maligna fuerit, salutaris dici non pot-  
erit; quod secus se habebit, facta metastasi ad partes  
externas (§. ant.).

C

§. XXVI.

## §. XXVI.

*Aliud.*

*Nec salutaris dici poterit febris, quae corpora, humoribus spissis infarcta, ita aggreditur, ut inde graves inflammationes in iisdem suboriantur (§. XXIV.).*

## §. XXVII.

*Aliud.*

*Neque etiam morbi salutaris nomine digna erit febris, quae propter visceris cuiusdam infarctum obo ritur, atque iste in scirrum mutatur (§. XXIV.).*

## §. XXVIII.

*Aliud.*

*Ne tunc quidem salutaris appellanda erit febris, quae ad infarctus et scirrhos viscerum ira accedit, ut haec valdopere inflamentur (§. XXIV.).*

## §. XXIX.

*Aliud.*

*Contrario aurem modo salutaris foret febris, suborta in adflictionibus apoplecticis, ita, ut bis dis cussis, vel sanitas redeat, vel relinquatur paraly sis quaedam particularis (§. XXIV.).*

## §. XXX.

*Scholion*

*generale.* Plures alij casus hoc loco in medium profer ri possent. Quorsum exempli caussa pertinent haemorrhagiae adfectionibus inflammatoriis sae pe

pe proficuae; excretiones seri variae, vt phlegmatorrhagia, diarrhoea, in adflictionibus catarrhalibus haud raro vtilissimae; exanthemata varia caco-chymicis frequenter salubria: et id genus plura alia exempla, quae in obseruationibus medicis habentur. Quia vero illi casus, quos a §. XVI. hucusque exposui, ad scopum praesentem sufficere possunt: a re alienum foret, prolixitudinem sequi. Rite enim perpendenti demonstrationes propositionum, ad casus enarratos adaptatarum, non poterit non satis luculenter apparere, quantum usum generalia in specialioribus praestent, ita, vt theoria inde magis certa et perspicua fieri, imo ad compendium reduci queat; quae alias diffusis tricis obuolui deberet. Atque exinde simul euidentes esse poterit, similem normam in aliis quoque casibus, praeter expositos, obtinere; quam omnino sequi oportebit, vbi nimur de morborum salubritate, aut insalubritate rectum iudicium ferendum est. Nam quando mihi certo constat, notionem morbi salutaris esse mere relatiuam, neque illam rite applicari posse, quam sanitatem et morbis, utrumque caussis, effectibus in corpore, et signis distincte intellectis: patebit iam, quorum animus in casu substrato sit dirigendus, ne ad temeraria iudicia prolabatur. Non est praeterea, vt multa hic verba faciam de pertractati argumenti utilitate. Nam haec satis manifesta est. Quo enim modo et caussae aegrorum, et famae suae melius consulere poterit medicus, quam recte

20 *Dissertatio Academica de Morbi Salutaris etc.*

iudicando, qualem euentum nacturus sit morbus? Nonne certa cognitio morbi salutaris in casu maximam partem spontaneae illius methodi salubris in se comprehendit, qua nempe natura, sibi relicta saepe vtitur in persanandis morbis? Qua methodo naturae medicatricis recte perspecta, medicus, tanquam illius minister, facile atque absque metu errandi determinare poterit, quando illam vel sequi, vel aliam in medendo viam eligere debeat? Cuius rei praeclara specimina iam prostant apud **HIPPOCRATEM**, **GALENVM** et alios veteres medicos. Quibus prolatis, nihil amplius restabit, quam ut hasce meas meditationes nunc finiam.



NOBI,

NOBILISSIMO PVLCHREQVE DOCTO  
R E S P O N D E N T I  
S. D.  
P R A E S E S.

Sine illa cogitandi ratione, qua in proponendis dogmatibus suis continuo vtuntur Mathematici, neque in aliis disciplinis solidam cognitionem acquiri posse, res est tam certa et expedita, ut istius veritatis dubium quoddam nemini suboriri possit, nisi ignaro illarum regularum, secundum quas intellectus humanus in cognoscendo vero regitur. Explicat iam istas regulas Logicae veri nominis, eademque ex natura mentis humanae derivat: cum quibus etiam plane conueniunt illae, quas in tradendis doctrinis suis obseruant Mathematici; dum ex praemissis quibusdam indubitis, accurate instituto ratiocinio, reliqua deducunt, eaque inter se continuo connectunt. Et sic in scriptis Mathematicorum praeclara genuinae Logicae specimen profabunt, in aliis quoque disciplinis imitanda. Scio quidem varia inter addiclos Aesculapio errare iudicia de huius methodi ad artem salutarem translatione. Alii enim eandem, tanquam rem nullius usus, contemnunt; alii quidem laudant, in ea tamen sunt sententia, ac se istius methodi applicatio ad Medicinam ideo fieri nequat, quia haec ab obseruationibus principia sua petere debet. Illi non erunt audiendi: hi vero iudicium

suum statim mutabunt, quam primum sibi ob oculos ponant  
Astronomiam; quippe quae ab observationibus principia sua de-  
promit, atque in eo cum Medicina plane conuenit. Sed quem  
latere potest, quam certae iam sint atque exploratae res Astrono-  
morum? Ut de Physica, variisque alit partibus Matheos ap-  
plicatae nihil dicam; utpote quae etiam ab observationibus ori-  
gines suas ducunt. Veritati ideoque apprime consentaneum est  
de eadem re iudicium M. HIPPOCRATIS, grauissimi illius ar-  
tis medicae statoris, qui in epistola ad filium scripta huic studium  
Arithmeticae et Geometriae valdopere commendat, ut non nisi  
illarum praeceps imbutus ad Medicinam accedat. Hinc ipse  
M. HIPPOCRATES instituto TVO annuere deberet, DOCTIS-  
SIME WAGNER, qui in conscribenda dissertatione TVA vilif-  
fimi prosectori argumenti morem Geometrarum sequutus es. De  
quo TIBI ex animo gratulator. Nec potuisse melius diligentiam  
TVAM Patronis TVIS probare, quam tali specimine. Dum  
michi praeterea non secus, as assidius Auditor innotuisti, quem  
simil in exercitationibus disputatoris priuatis bene stetisse re-  
miniscor: non dubito, fore, ut TE quoque virum praestes in ca-  
thedra academica, quorsam TE propediem comitabor. Secun-  
det iam vteriores TVOS conatus fortuna! De mea tandem in  
TE voluntate certus, AMICISSIME WAGNER, ut me in po-  
sterum quoque amare pergas, abs TE peto. Vale D. in Acad.  
Halensi ad diem XXIV. Maii CCCLV.

Freund,



**F**reund, wie fruchtbar sind der Wahrheit Schäke!  
Die überzeugend, frey von dem Geschwäche,  
Sich in die Seelen unauslöschlich drücken,  
Und sanft entzücken.

Mitleidig siehst Du, wie mit schwachen Schwingen  
Dſt niedre Geiſter nach dem Schatten ringen;  
Die ewig träumend nur mit Worten spielen,  
Im Chaos wühlen.

Nie wird der Wahrheit göttlich Licht entzehret;  
Wem nur Euclides ihre Spuren lehret.  
Ihm reicht ſie Lorbeern, und ihn zu belohnen  
Ewige Kronen.

Schon jener Griechen lehrte viß die Kinder;  
Doch ſeine Nachwelt dachte weit gesünder,  
Sie scheute Mühe, die ſie bald verſäumte,  
Und irrig träumte.

Doch ſind die Enkel noch nicht ganz verloren;  
Ihnen ſind Männer alter Zeit gebohren;  
Höhere Geiſter, die troß Stolz und Dräuen,  
Dünfte zerſtreuen.

Auch Du, mein Wagner, haſt aus ihren Lehren  
Schäke geſammlet, die den Lehrer ehren:  
Gieb ſie der Nachwelt, und ſie auszubreiten,  
Dankbarern Zeiten.

Christian Gottlieb Rudolph  
von Breslau aus Schlesien.  
OPPONENS.

NOBL-



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO


DN. C A N D I D A T O

S. D. P.

IO. PHIL. LVD. PROEBSTING

MED. STVD. OPPONENS.

Quam industrie, quam grauiter animum. TVVM diuae  
Hygeae doctrina subigere et excolare allaboraueris;  
id ex eleganti hoc TWO specimine, ad quod defen-  
dendum iam properas, sole meridiano clarius elucet. Ideo-  
que mihi insigniter de eo gratulor, quod testis esse pos-  
sim præstantissimæ istius gloriae, cuius impraesentia-  
rum diligentiae TVAE ergo iure meritoque redderis  
particeps. Maecte ista virtute! Dum illa amicitia,  
quae inter nos obtinuit, mihi hucusque nihil iucun-  
dius, nihil suavius euenire potuisset: vt illa mihi in poste-  
rum quoque frui liceat, per quam humaniter a TE peto.  
De mea amicitia TIBI iam certo fausta queuis atque felicia  
ex imo animo appreco, atque TE bene ex animi sententia  
valere iubeo. Dab. Halae Magdeburg. die XXIV. Maii  
Anno MDCLV.



Hilg. Med. 7055 1755-56

ULB Halle  
002 830 698

3



Sk

Ritual





7

DE  
**MORBI SALVTARIS**  
**NOTIONE RITE APPLICANDA**

EX CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
**D. ADAMO NIETZKI**

DIE XXVIII. MAII C<sup>o</sup> CCC LV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISSERET

AVCTOR  
**CAROLVS CHRISTIANVS WAGNER**

LOEVENA SILESIVS.

---

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.